



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt per scripta nullius accusatio suscipiatur eo absente qui accusatur.
clxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

per vicarios suos eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur episcopus quoniam quanquam comprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit domino: Quaecumque ligaueris super terram, erunt ligata & in caelis: & quaecumque solueris super terram, erunt soluta & in caelis.

Vt per scripta nullius accusatio suscipiatur, eo absente qui accusatur. Cap. CLXXVII.

*Ex epist.
Steph. a.
papae cū-
ctis episco-
pis missa,
cap. 8.*

Per scripta enim nullius accusatio accusatore, & eo qui accusatur absentibus suscipiatur, sed propria voce, si legitima & condigna accusatoris persona fuerit, praesente videlicet eo quem accusare desiderat: quia nullus absens, aut accusari potest, aut accusare. Nullus tamē praefati ordinis vir accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter à suo primatu vocatus sit, locūque defendēdi, aut inquirendi accipiat, ad abluenda crimina.

Vt difficiliore cause ad apicem Romanae sedis referantur, ut apostolico terminentur iudicio, cuius sedis auctoritate omnes Ecclesiae reguntur. Cap. CLXXVIII.

*Ex epist.
Anacle-
ti papae
omnibus
Episcopis
missa, ca.
14.*

Si quae verò causae difficiliore inter vos ortae fuerint, ad huius sanctae sedis apicem eas, quasi ad caput referre, ut apostolico terminentur iudicio: quia sic Deum, velle ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Haec verò apostolica sedes, cardo & caput factū est à domino, & non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctae sedis auctoritate omnes Ecclesiae domino disponente reguntur.

Quod omnes Episcopi possint appellare Romanam sedem in necessitatibus positi. Cap. CLXXIX.

*Ex decr.
Damasi
papae Ste-
ph. epi-
sco. Afri-
cae missis,
cap. 9.*

Quam omnes appellare si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam, ut nostis, synodū sine eius auctoritate fieri non est canonicum: nec episcopus nisi in legitima synodo, & suo tempore apostolica uocatione congregata, definitē damnari potest: neque vlla